

sus ad fidem, vel si ab initio uterque fuisset fidelis, licet aliter eorum a fide discedat, alter tamen nullo modo contrahere potest, quia ratum fuit matrimonium inter eos. Atque hac distinctio est Canonice bona. Et probatur extra, de divorciis. Quando. Sic Glossa, cui nihil est in duabus aliis Capitum dictorum aduersum, deforme Textui, eaque de causa reformandum: unde neque ipsis Doctores contrarij niti poterunt. Quidquid de illa merito reprobanda assertione sit, ibidem occurrente; matrimonij scilicet coniugum infidelium solui quoad vinculum, si vno ad fidem conuerso alter recedat. Et est Ioannis Andreae non reprobata in Cap. Si Infidelis, §. Ius: bene tamen in Cap. Gaudemus: unde iam reformatum quod P. Cornelius reformandum arbitratur.

64 Melius posset obici Cap. Iam nunc & Cap. Sic enim 28. quest. 1. vbi ex D. Augustino Lib. 1. de adulterinis coniugijs, Cap. 13. & seqq. statuit aperte D. Pauli monitionem precepti vim non habere, sed consilij. Verum id non obstat, quia illorum Capitum doctrina, cum solius D. Augustini sit, priuata illius sententia tantum est nata auctoritate: cum tamen Pontifices postea id decreuerint, quod in Iure, citatis Capitibus, habetur. Neque id mirum, cum Innocentius Tertius in citato Cap. Quamuis, cuiusdam Prædecessoris sui Decretalem Decisionem expungat verbis illis: *Quidam Prædecessor noster sentire aliter videatur.* Fuit autem ille Cælestinus Tertius in Cap. Laudabilem de conuersis, infidel. in quo iam non extat. Sic Glossa ibidem verb. Prædecessor. Pro quo & facit id, quod ipse Doctor sanctus scribit Lib. 2. Retractionum Cap. 57. in hunc modum: *Scripti duos libros de coniugijs adulterinis, quantum pertinet secundum Scripturas, cupiens solvere difficillimam questionem. Quod vtrum enodatissime fecerim nescio: immo verò non me peruenisse ad huius rei perfectionem sentio: quamuis multos finu secus aperuerim: quod iudicare poterit quilibet intelligenter legit.*

Circa Caput XIX. & num. 450. & seqq.

Ubi de obligatione pauperum circa decimas, & consuetudine.

65 Sacra Rota in Decisione quadam 15. Ianuarij 1646. apud Dianam Parte 8. sic habet: Paupertas non excusat à solutione decimarum, nisi tanta quod si decimas soluerent, fame perirent. Sic illa, Auctores pro eo inducens; in quo tamen alij mitius loquuntur. Videndus Leander Parte 3. Tract. 6. Disput. 6. Quest. 28.

66 Et de vno foetu soluendam decimam iuxta estimationem, stante consuetudine, tradit P. Fagundez de 5. Ecclesie Precepto Libr. 1. Cap. 5. numer. 2. ex Rebuffo, quem transcribit Leander Tomo 2. Tractatu 9. Disput. 5. Quest. 12. unde non penitus damnanda videtur, nisi vbi foetus exiguae estimationis sit: neque enim de minimis curare generositas Ecclesie debet, de cuius nec curat Prætor.

Circa Caput XX. & num. 461.

Ubi de dispensatione in voto castitatis.

67 Quod Diana contra Croufers statuit adducens alios, de Religiosis statuerat Parte 6. Tract. 6. Resolut. 50. Et fragilitatem in vouente esse sufficientem causam dispensationis firmant multi, quos adducit & sequitur Parte 10. Tract. 12. Resolut. 1. §. Stando igitur, & sequenti. Vbi quod si non sufficiat, adiuncta tamen inconsideratio & leuitas in vouendo, causam sufficientem integrent, vt idem cum alijs determinat. Immo & sola sufficere leuitatem in vouendo, etiam si difficultas implendi non sit, sufficientem esse rationem docuerat cum alijs citata Parte 6. Tract. 7. Resolut. 24. quod bono nititur fundamento. Pater etiam Tamburinus Libr. 3. in Decalogum Cap. 16. §. 4. ex P. Sancio rationes ad dispensandum sufficientes adducit. Plus autem circa hoc vide in Indice. V. Votum.

Circa Caput XXI. & n. 466. & seqq. ac num. 153.

Ubi de dispensatione in petitione debiti.

68 Priuilegium Pij V. vim etiam nunc habere ex Leandro de Sacramento omnino videndo Tomo 2. Tract. 9. Disput. 24. Quest. 16. & 17. & Martino à S. Ioseph, proponit Diana Parte 10. Tract. 14. Resolut. 20. Vigere etiam aliud Iulij Secundi, ex eodem Leandro, & Mag. Candido habetur, iuxta quod censent illi Confessarios Regulares dispensare posse sine deputatione Prouincialis, & cum sola Localis Prælati facultate, quod & videtur probare Machadus Tomo 1. Lib. 5. Parte 3. Tract. 3. Documento 2. n. 2. ab eodem adductus: quidquid scrupulosius dixerat Parte 6. Tract. 8. Resolut. 32. & pro priuilegio Pij V. & aliorum videndus etiam Bossius Parte 1. Tractatu de Matrimonio, Cap. 5. numer. 10. & 14. licet abnuat P. Quintanad In Casibus Iubilei, Cap. 16. numer. 9. & 10. Qui tamen num 11. & 12. aperte suffragatur.

Circa Caput XXII. & num. 481. & seqq.

Ubi aa Indi excommunicationi subiaceant.

69 Facit pro illis quod ex Martino à S. Ioseph habet Diana Parte 10. Tract. 12. Resolut. 36. in fine, addens Leandrum & Trullench, pueros scilicet ante duodecimum annum non esse obnoxios excommunicationi, quæ ab Ecclesia pro suorum præceptorum violatione decernitur, de quo ipse alibi, & consulti eiusdem Summa potest. Plus autem cum alijs addit Vericelli Tomo 1. Tract. 8. Quest. 66. num. 33. pueros scilicet ante decimumquartum non ligari, &

ante

duodecimum puellas, & de excommunicatione agit ab Episcopis imposta, sed aliorum sententia generaliter loquentium innixus. Ex quibus est etiam & Leander Tomo 1. Tract. 5. Disput. 3. Quest. 57. generaliter loquens, plenam ad incursum exigit pubertatem, plures pro eo adducens; licet addat ad minus duodecimum requiri in pueris, nihil de feminis adiiciens. Pueris autem Indi communiter loquendo simillimi, licet multi, vt alijs dixi, Europæos plures exæquent ac superent, circa quos regula indicata seruanda.

AD TITVLVM XIII.

Circa Caput III.

Ubi de necessariâ presentatione Litterarum Apostolicarum ad ineundum Episcopatum.

70 Via post scripta citato in Capite, & prælo transmissa, circa casum, de quo ibidem Decretum Sacrae Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum vulgata est, & SS. D. Alexandri VII. Apostolicum Breue eidem conforme proditum, quibus ea, quæ à Nobis dicta, videntur aliquatenus infirmari: operæ pretium duxi ea hoc loco addere, quæ in negotio adeo perplexo conducere poterunt, erratis quorundam ex sinistra intelligentiâ confutatis. Breue ergo, in quo & Decreti specifica mentio, sic se habet.

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Alia pro parte Vener. Fratris Episcopi Ciuitatis Assumptionis, nuncupate Prouincie Paraquariensis in Indijs Occidentalibus, Congregationi Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, expositum, quod ipse Episcopus possessionem Ecclesie Ciuitatis Assumptionis huiusmodi apprehendisset, & se à Venerabili etiam Fratre Episcopo Tucumanensi consecrari curasset, non presentatis Litteris Apostolicis provisionis & præfectionis sue in Episcopum eiusdem Ecclesie, quæ tamen reuera concessa prius & expedita fuerant; deque ipsa concessione & expeditione, præuis aliquibus informationibus, aliquatenus constabat. Quodque consecratio huiusmodi ab vno prædicto Episcopo Tucumanensi, assistentibus duobus de Capitulo Canonicis, peracta fuisset, non exhibitio Apostolice dispensationis indulto; quod tamen reipsa prius concessum fuerat, & sub aliquali huiusmodi concessionis notitiâ, aut saltem præsumptione, (quia scilicet Sedes Apostolica

solita sit circa numerum Episcoporum dispensare cum Episcopis consecrandis in Indijs) prænarrata consecratio facta fuerat. Ac quesito Primò, an prædicta possessio non presentatis Litteris Apostolicis, apprehensa fuerit legitima? Secundo, an prænarrata Consecratio, vt supra peracta, fuerit valida? Prædicta Cardinalium Congregatio die quidem 1. Septembris 1657. respondit ad Primum non fuisse legitimam, Ad secundum verò eadem Congregatio die 15. Decembris dicti anni, re mature discussa, secundum ea, quæ proponebantur respondit prædictam consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem Characteris, fuisse validam. Quantum verò spectat ad licitam executionem Ordinis fuisse irritam & inane, & Episcopum ita consecratum, ac respectiue consecratem, indigere absolute ac dispensatione. Quare pro parte eorundem Ciuitatis Assumptionis & Tucumanensis Episcoporum, Nobis humiliter supplicatum est, vt eorum statui oportune in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem eisdem Episcopis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & penis, à iure, vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate extiterint, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serè absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, ipsos Ciuitatis Assumptionis & Tucumanensis Episcopos, & eorum singulos, à Censuris & penis Ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis, sicut præmittitur, peractæ, quoquo modo respectiue incurris, & quas ipsi incurrisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, Auctoritate Apostolica tenore presentium absoluiimus, & plenariè liberamus. Ac cum eisdem Episcopis, & eorum singulis, super irregularitate per eos præmissorum occasione quomodolibet contractâ; ita quod illa, & eisdem præmissis non obstantibus, dummodo non aliud Canonicum respectiue obstet impedimentum, Clericali charactere, quo aliàs, ritè insigniti fuerunt, illiusque priuilegijs vti, ac in susceptis per eos pariter ritè quatuor Minoribus, nec non sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus, etiam in Altaris ministerio, ministrare, Episcopaliaque munia obire, exequi,

LIII 4

Et exercere liberè & licitè possint & valeant, Auctoritate & tenore presentium dispensamus. Non obstantibus premisis, nec non Apostolicis, ac in Uniuersalibus, Prouincialibusque Concilijs, generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem ut dicti Episcopi penitentiam, quam eis respectiue Sacerdos idoneus propter præmissa imposuerit, omnino adimpleant: alioquin Presentes quoad absolutionem eis in foro conscientie nullatenus suffragentur. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 27. Febr. 1660. Pontificatus nostri anno 5.

S. V. GOLINVS.

Ex hac Pontificia decisione deducenda nonnulla.

71 Primum, eos, qui consecrationi & possessioni præfatis obstiterunt, ritè id ac legitime præstitisse, cum factum vti illegitimum ac culpabile à Pontifice fuerit condemnatum.

Secundum, minime stare ea, quæ Dom. Solorzanus asseruit circa notitiam quacumque viâ habitam factæ gratiæ: id enim præsertim recitatur, quandoquidem ex narratione constat aliqualem notitiam præcessisse. Deque ipsa concessione & expeditione, præcis aliquibus informationibus aliquantulum constabat.

Tertium, id quod Nos diximus de authentico testimonio pro apprehensione possessionis non videri penitus improbatum, quia de eo mentio nulla, licet sic ibi: *Nō præsentatis Litteris Apostolicis provisionis, &c.* & deinde in Questionis propositione: *An prædicta possessio non præsentatis Litteris Apostolicis apprehensa fuerit legitima?* Ad quam negatione omnimodâ respondetur. Est enim responsio accommodata quæsito, in quo de authentico testimonio nihil appositum. Et cum probabilis illa doctrina sit, grauiumque scriptorum auctoritate munita, non est verosimile Sacram Congregationem voluisse eam vti improbabilem relegare. Nihilominus ab eâ abstinuisse præstabit, quia necessaria in praxi non est, cum Episcopi Indici gubernationem Ecclesiarum suscipiant eo modo, quem diximus *Titulo isto num. 25.* & graue euitabant periculum improbandæ apprehensionis, libris & controuersis excitatis.

72 Quartum, non esse admittendum id, quod tradit Dom. Solorzanus circa Censuras & pœnas apprehendentium possessionem sine suffragio Litterarum: affirmat enim nullam extare in Extrauagante *Inimicæ* contra Episcopos, sed contra Capitulares recipientes illos, vt ex contextu apparet, & notant Auctores ab ipso adducti. *5. Y ultimamente.* Non inquam esse admittendum; quia Congregatio, cui Pontifex verbis & facto ipso annuit, oppositum manifestat. Cum enim Censuras incurfas statuunt, à quibus absolutio conferretur, necessariò fatendum est id vel occasione possessionis, vel consecrationis accidisse: atqui de consecratione negat, eò quod pro eo

nullus textus expressus sit; debet ergo de possessione fateri.

73 Benè verum est inspecto contextu, non videri statim ita apertè deduci Censuras ex apprehensione possessionis fuisse incurfas, sed ex Consecratione. In priori enim Decreto die 1. Septembris, de pœnis nihil habetur, sed tantum non fuisse legitimam. In secundo autem dicitur, quantum spectat ad licitam executionem Ordinis fuisse irritam & inanem (consecrationem) & Episcopos ita consecratum, ac respectiue consecratem, indigere absolutione ac dispensatione. Apprehensio autem possessionis non est executio Ordinis, quia sine illo stare potest, & ius ad illam competit virtute confirmationis, ex Cap. *Transmissam* de Electione, & alibi. Deinde Pontifex in absolutione ipsa idem significat verbis illis: *A Censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis, sicut præmittitur, peractæ, quoquo modo respectiue incurrerit: vbi respectiue idem est quod singula singulis referendo, vt cum alijs docet Barboza *Tractatu de Electionibus, 348. num. 6.* Nihilominus contrarium est asserendum, quia id non obscurè indicatum in dispensatione super irregularitate, dum dicitur: *Ac cum eisdem Episcopis, & eorum singulis, super irregularitate per eos præmissorum occasione quomodolibet contractæ, &c.* Cum enim de consecratione sermo præcesserit, si de Censurâ violatâ, & irregularitate propterea incurâ, Pontificis verba procederent, non occasione præmissorum, sed occasione præmissæ consecrationis dici debuisset. Notanda etiam quæ post adducta, & ad consecrationem spectant, subiiciuntur, dum dicitur: *Et quis ipsi incurrerit duci, censeri, præcedendi, vel intelligi possent.* Si enim præter incurfas propter consecrationem nullæ aliæ Censuræ sunt, superflua sanè verba prædicta censeri deberent.*

74 Præterea, apprehensio facta est virtute consecrationis: cum enim Litteræ pro eadem non extarent, idè est caprata possessio, quia consecrationis auctoritas omnem videbatur dubitationem submouere. Vnde & consecrationis authenticum testimonium Capitulo exhibitum, vt ex Capitulari libro constat, & extralumpis iudicialiter præsentatis. Dum ergo dicitur, *Occasione consecrationis*, possessionis etiam actus designatus, & ita etiam accipiendum quod in Decreto Congregationis habetur, consecrationem videlicet fuisse irritam & inanem quantum spectat ad licitam executionem Ordinis; & idè Episcopum indigere absolutione ac dispensatione. Apprehensio enim possessionis, executio Ordinis fuit, quia virtute illius contigit, vt quid ad Ordinem consecratum, licet sine illo stare possit, sed cum necessario tamen respectu: idè enim administratio conceditur, quia Episcopus in re, aut in spe iudiciali est, cum obligatione consecrationis. Vt enim benè explicat D. Thomas in 4. *distinct. 24. quæst. 39. artic. 2.* Episcopatus secum affert iurisdictionem erga corpus mysticum Ecclesiæ.

75 Licet autem verosimile sit, quod cum alijs affirmat Dom. Solorzanus, nullam scilicet pœnam, quæ Censura sit, (licet ille generaliter id de pœnâ statuatur, quod constat verum non esse, cum acta irritentur, & prouentuum perceptia prohibeatur) in præfata Extrauagante decerni, sicut

sicut nec in alia Iulij Tertij, cuius Auctores obitiam exhibent mentionem, ac præsertim P. Azor *Tomo 2. Lib. 7. Cap. 1. s. Extat etiam.* Et Quarta in Summa Bullarum fol. 105. vbi ad litteram eam proponit. Est tamen Bonifacij Octauj Decretalis in Cap. *Præfati*, de officio Ordinarij in Sexto, in qua Censuræ bona, vacationis Ecclesiarum tempore obuenientia, occupantibus imponuntur, cum debeant successioribus reseruari. Ne occupare, aut in usus suos conuertere, quoquo modo præsumant. Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine iam præscripta legitime, seu alia causa rationabili, hoc eisdem competere dignoscatur. Alioquin Episcopi, & eorum Superiores, ab ingressu Ecclesiæ; ceteri verò ab officio & beneficio tandem eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis. Quæ sunt verba Pontificis. Constat autem eum; qui sine Litteris Apostolicis possessionem apprehendit, & bona obuenientia vacationis tempore; neque priuilegio, neque consuetudine, neque rationabili causa id facere. Pro quo & est vrgentior Canon in Bulla Cœnæ, scilicet 17. de viurpantibus iurisdictiones, fructus, redditus, & prouentus: & ad tempus vacationis specialiter spectare probat cū alijs Leander *Parte 4. Disput. 17. Tract. 3. Quæst. 3.* Non potest autem suffragari prætextus non admixta præsumptionis, eo quod dicatur in Textu, *Ne præsumant*, iuxta vulgarem doctrinam, de qua Nos sæpius in *Thesauris*, & Bonacina, vt testatur ipse *Tomo 3. Disput. 3. Quæst. 4. Puncto 14. n. 1.* P. Suarius *Tomo 5. in 3. p. Disput. 31. Sect. 1. n. 15.* cum Nauarro, quem allegat. Nam in Extrauag. *Inimicæ* similis modus loquendi extat, & tamen sacra Congregatio ad intelligendum in casu, de quo loquimur, illam interfuisse, solum factum eisdem contrarium attendit: est enim præsumptionis genus legem apertè violare, dum contra eam agitur, & in Decretali adducta genus omne præsumptionis remouetur, cum dicitur, *quoquo modo præsumant*, & id quidem in iudiciali foro communiter seruatur; alias vix posset quisquam pro violatâ lege puniri, quia dicere potest se non ex præsumptione, sed bonâ intentione, aut certè ex fragilitate fecisse. Sicut autem Ecclesia de occultis non iudicat, ita neque occultos actus pro defensione reorum attendit, de quibus illi non constat, ne sic delicta maneant impunita. Solus ergo per ignorantiam operans non dicitur præsumere: vnde Doctores disputant qualis ignorantia excludat præsumptionem: pro quo videri potest P. Thomas Sancius *Lib. 3. de Matrimonio Disput. 48. num. 7.* & non omnem id habere, est communis sententia, videndus etiam specialiter *Lib. 9. Disput. 32. num. 36. 37. & 38.* vbi cum alijs præsumptionem esse ait quando est dolus, & hunc dari quando aliquid scienter fit contra Canonem seu, vt Hispanè dicitur, *A sabiendas*, quia scilicet ignorantia abest. Pro quo & Leander in *Expositione sue Regule, Parte 5. Cap. 20. Lit. 8.*

De pœnis circa Consecrationem.

76 Iam quod ad consecrationem attinet, similiter esse dicendum, Censuram scilicet aliquam incurfam, quod manifestius in Decreto, & Pontificia absolutione dispicitur, dubitari nequit. Vnde non admittendum quod habet

Dom Solorzanus s. *Demis de que*, dicens se non inuenisse legem Canonicam in Iure insertam, aut extra illud, quæ pœnam aliquam imponat Episcopo, qui cum notitia, licet non ita plenè probatâ, confirmationis Pontificiæ, consecrat aut recipit consecrationem. Probat autem in sequentibus; non extante lege in terminis loquente, non posse ex iis argui, quæ suspensionem, aut pœnam aliam statuunt in casibus similibus, quia de Episcopis expressè non loquuntur, vt deberent loqui, iuxta Cap. *Quia periculosum*, de sent. excommun. in 6. vbi vt Episcopi pœnam Interdicti & suspensionis incurrant, expressam de ipsis statuitur debere fieri mentionem. Quæ quidem doctrina si firma esset, ex eâ haberetur eum, qui sola presentatione consecrari se curat, nullam pœnam incurrere, quamuis confirmationis notitia, non solum plenè non probata, sed neque vlla præcederet; quia nec de eo lex Canonica specialior extat, pœnam imponens, cum penitus notitia deest, & virtute præsentationis agitur, aut modo alio prouisionis, cum Confirmationis species generalis est prohibitio indistinctè procedens, vbi de confirmatione non constat, vt constare debet. Quod tamen prædictus Auctor non audeat affirmare. Datur ergo illa, & à Nobis est sollicitè conquirenda.

77 In primis ergo occurrit Canonica dispositio variis in locis Decreti, & præsertim 9. *quæst. 1.* iuxta quam recipiens Ordines ab excommunicato, suspensio, aut interdicto vitando, suspensionem incurrit: quod Doctores extendunt ad eum, qui recipit Consecrationem, vt videri potest apud Bonacinam *Tomo 3. Disput. 3. Quæst. 1. Puncto 10. num. 6.* qui rationem adhibet, non ex eo quod sit paritas; id enim in pœnalibus fallit; præsertim circa Episcopos, ob citatum Cap. *Quia periculosum.* Sed ex defectu potestatis in Cōsecrante, quia non habet usum Ordinis, & ita neque illum conferre potest, vnde suspensus manet recipiens. Est autem eadem ratio in nostro casu, quia Consecrans non habet liberum usum in ordine ad hunc: non ergo liber esse in consecrato similis usus potest, & ita manet suspensus. Et ex hoc fundamento ortum habuit probabilis opinio, iuxta quam ille, qui consecratur ab Episcopo, qui renuntiauit quoad dignitatem, suspensionem incurrit, quia nequit usum liberum conferre, quo caret. Licet Bonacina *suprà Puncto 9. n. 12.* contrariam censeat probabiliorē, quem pro eo laudat Dom. Solorzanus s. *A los quales.* Sed quidem eius non videretur doctrinæ aptè coherere. Vnde melius philosophatur P. Suarez *Tomo 5. in 3. p. Disput. 31. Sect. 1. num. 12.* dum ait, quod sicut Episcopus indiget Characterē vt Characterem imprimat: ita & indiget Characterē habili & expedito, vt habilem in ordine ad operandum & expeditum imprimat characterem. Sic ille, quidquid de assertionē sit, de qua non pronuntiauit expressè, benè tamen de consecratione ab excommunicato *num. 65.* iis adiunctis, quæ ex eodem desumpsit Bonacina.

78 Deinde. In Extrauag. *Inimicæ* hoc videtur non obscurè decisum. Eò enim tendit, vt Episcopis, & Prælatibus alijs non adhibeatur fides in ordinem actus suorum munerum propriis, nisi mandatum Apostolicæ Sedis litteris expressum ostendat.